

Albentesq; videre Aquilas, litusq; repletum.
 Quadrupedantem hic laudat equum, tunicamq; Poloni:
 Hic peditum tumidas, clamorasq; ore catervas.
 Plumam alius galli, villosaq; pilea ridet,
 Ast nunc grata tamen. Pars latos suspicit enses,
 Helvetij in morem non punctu, ast verberare fortes.
 Lancea cara alijs, Sueonum ruptura phalanges
 (Si sponte abjiciant hastas & pulveris ignes)
 Ipsum imbelle genus lacrymis manantia pascit
 Lumina, nec jaculis terretur & ictibus Hostis.
 Gaudia vix cepit ipsa sua immoderata Juventus.
 Mox virtute ferox statuit prorumpere in undam,
 Navibus ac cymbis Sueonum perrumpere castra,
 Sternere Marte viam, Vindex qua tendat in Urbem.
 Ast prohibet cautè moderatior ista Senatus,
 Nil profectura hæc vitanda pericula censens,
 Consilij ignarus socij vix prospera sperans.
 Exploraturus mentem tamen exit ab Urbe
 Nuncius, arcanus cui gnarus transitus undæ.
 Promuntur tectæ dudum post tuta Triremes,
 Cunctaq; in obsequium Ductoris rite parantur.
 Quin, ne quid desit virtuti, BURCKIVS audax
 Ductor navalis, Dunam transire per Hostem
 Bis tentat ratibus, magnâ cum strage suorum,
 Pervia si qua DUCI referari semita possit.
 COBRVNI interea fidens excurrit in hostem
 Non sat iussa cohors. Pars vallo clausa tenetur,
 Saxea qua Turris. Pugnâ sternuntur utrimq;

Et conatus,

Improbatus à senatu,

Meliùs rem agente.

Burckij audax facinus.

Velitatio cum Polonis.

Æquo